

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0657

0655

0661

0651

0666

0646

0706

0606

0756

0556

0156

Ende

Anfang

84

in eos deorsum sparsit. Cum eum quidam interficere vellet, prohibuit David nolens, quod sibi pro illa injuria quidquam mali fieret hac vice. Mirabamur sancti illius regis patientiam et miseriam, et nobis ipsis indignabamur, qui ad unicum et leve verbum movemur contra proximos ad ultionem capiendam. Ecce enim, hic rex David nudis pedibus transit cooperto capite, flens, et omnes servi ejus cum eo amaricati, fugati de propriis domibus, et servus unus, miles, accurrit et maledicit, lapides contra regem mittit, terram contra eum spargit et maledictiones ingeminat et crimen laesae majestatis utique puniendum committit. Ad haec tamen omnia rex mitis non irascitur, non commovetur, humiliter pertransit et commotos compescit, dicens: dimitte eum, ut maledicat nunc juxta praeceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. In tota serie sacrae Scripturae vix ita lamentabilis textus habetur, sicut ille de emigratione David et de patientia ejus in sua maledictione (213A). Cum enim homo textum illum scit et locum hunc pertransit, a lacrimis vix se cohibere valet recogitans tantam pietatem. O quantum in hoc loco flevisset beatus Gregorius, cum eum legamus flevisse in foro Trajani imperatoris propter misericordiam, quam ibi cuidam viduae se petenti praestitam legerat! Incomparabiliter major misericordia est, misereri injurianti et maledicenti, quam petenti et benedicenti. Ab hoc loco David usque ad fontem solis descendit, et lassus juxta eum quievit. Nos vero a loco ulterius sursum ascendimus, et montem Oliveti a longe vidimus cum ecclesia ascensionis Domini in ejus cacumine locata, in cujus aspectu gavisi sumus videntes, nos prope esse Jerusalem.

#### De planitie ante castellum Bethania.

Rursum consequenter processimus et in planitiem quandam venimus, a qua consurgit mons Oliveti ab una et mons offensionis ab alia parte. In hac planitie finitur desertum Adamin, nam ab ea deorsum usque ad Jordanem est vasta solitudo, demto circulo, quem irrigat fons Helizaei; sed ab ea